



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 156. Rothomagum a Burgundo captum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Urbes ad Somonam fluvium sitas tradi ; Sæcul. XV.
 pluraque alia cuivis ex foederatis Prin- A. C. 1465.
 cipibus relinqui petebat. Verum Rex
 Normanniam fratri suo in hæreditatis
 portionem cedere noluit, unde nonnisi
 Carolesio Comiti oppida, quæ Somonæ
 adjacent, Comiti vero S. Pauli Connesta-
 bilis dignitatem adjudicavit. His ita
 compositis nec pacis colloquia interrump-
 ebantur, nec bellandi ferocia cessabat.

§. CLVI.

Rothomagum a Burgundo captum.

Borbonii Dux repulsam, qua Rex fratri
 suo Normanniam denegavit, ægerri-
 me ferebat, unde Rothomagum subigere
 animo constituit. Tota hæc Provincia,
 ut olim Britannia felici cujusdam Ducis
 imperio parere exoptabat, spe freta, ex-
 cusso Regis jugo se omni felicitatum
 genere cumulatum iri. Ergo Borbonii *Commin. l. x.*
 Dux urbem ingreditur, nec vulgari com- *cap. 13.*
 munis lætitiæ significatione excipitur,
 ceteræque ferme omnes Normanniæ ur-
 bes pari jubilo sese Ducis obsequio ad-
 dicunt, cunctique earum incolæ, exce-
 ptis tribus vel quatuor urbium Primo-
 ribus, Borbonio Bituricensis Ducis no-
 mine sacramento fidem suam obstringunt.
 Ludovicus XI, ubi Rothomagenses se-
 ditionem movisse, & Pontisaram Bur-
 gundiæ

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

gundiæ Duci restitutam fuisse comperit, serio ad firmandam pacem animum adiecit, ac Carolesio Comiti significari iussit, sibi gratum, acceptumque fore ipsius adventum, atque colloquium, hancque in rem eidem tempus, locumque, quo convenirent, exponi fecit; præfigebatur autem campus quidam Confluentiæ vicinus.

§. CLVII.

Alterum Regis cum Carolesio colloquium.

Eo se contulit Rex nonnisi præsidariis Scotorum copiis stipatus; nec magis frequens erat Carolesii comitatus. His advenientibus, Rex pacem esse confectam, & Rothomagenes defecisse, Comiti hujus rei adhucdum ignaro aperuit, additque hæc verba: ut fratri meo Normannia cedatur, id nunquam ultro concessissem, postquam vero jamjam a Normannis Dux salutatus est, id pace mea fiat, ipsusque pactis modo, quo inita fuere, subscribam. Hoc verbum Regis summo animi jubilo excipit Carolesius Comes, ac continuo cum Rege collocutus, licet nonnisi quingentis suorum stipatus esset, incautior progreditur usque ad quoddam propugnaculum urbi proximum. Tandem vero periculum, in quod temere se conje-